SERMO

commendavit, spuit in terra, de saliva sua lutum fecit, quia ver
bum caro factum est, et inunxit oculos caeci. Inunctus erat et non
dum videbat, mittit illum ad piscinam quae vocabatur Siloe,
pertinuit autem ad evangelistae commendare nobis nomen ipsius
piscinae. Ait: quod interpretatur missus. Iam quis sit missus
agnoscitis, nisi enim ille fuisset missus, nemo nos
trum esset ab iniquitate dimissus. Lavit ergo oculos in ea pis
cina quae interpretatur missus, baptizatus est in Christo. Si ergo
quando eum in se ipso quodammodo baptizavit. Tunc inlumi
navit. Quando inunxit, fortasse cathecuminum fecit.
Potest quidem multis aliter adque aliter tanta sacramenti exponi et pertractari
profunditas, sed hoc sufficiat caritati vestrae. Audistis gran
de misterium. Interroga hominem, Christianus es. Respondet tibi: non sum,
si paganus est aut Iudaeus. Si autem dixerit: non sum. Adhuc quaeris
ab ipso: cathecuminus aut fidelis? Si responderit: cathecumi
nus, inunctus est, nondum lotus. Sed unde inunctus? Quaere, et re
spondit, quaere ab illo in quem credat. Eo ipso quo de cathecumi
nus est, dicit: in Christum. Ecce modo loquor et fidelibus et cathecu
minis, quid dixit de sputo et luto? Quia verbum caro factum
est, hoc et cathecumini audiunt, sed non eis sufficit ad quod in
uncti sunt, festinent ad lavacrum, si lumen inquirunt.
Iam ergo propter quasdam in hac ipsa lectione quaestiones, ver
ba Domini et ipsius universae lectionis percurramus, pertractur
quam tractamus. Et transiens vidit hominem caecum, non qual
emcumque caecum, sed a nativitate. Et interrogaverunt eum
discipuli eius: Rabbi. Scitis: rabbi quia magister est; ma
gistrum appellabant, quia discere desiderabant, quaes
tionem quippe Domino proposuerunt tamquam magistro:
Quis peccavit, hic an parentes eius, ut caecus nasceretur? Respon
dit ihesus: Neque hic peccavit, neque parentes eius, ut caecus nas
ceretur. Quid est quod dixit? Si nullus sine peccato, num
quid parentes huius caeci sine peccato erant? Numquid ipse
vel sine peccato originali natus erat, vel vivendo nihil addiderat?
An quia oculos clausos habebat, concupiscentiae minime

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0160